



CArolus filius fuit Iohannis regis Bohemiæ, & nepos Heinrici septimi Lutzelburgensis Cæsaris. Hic à parentibus in omni genere literarum, & uarijs uirtutibus egregiè educatus fuit, ita ut quinque linguarum Italicæ, Gallicæ, Germanicæ, Bohemicæ & Latinæ esset peritissimus. Erat etiam mira prudentia & rerum dexteritate præditus. Itaque cum sub finem Ludouici quarti Cæsaris magni tumultus hinc inde pōtificis opera, qui Imperatorem excommunicarat, excitarentur, atque Cæsar loco deponeretur, Carolus ille anno millesimo trecentesimo quadragelimo quinto à plerisque electoribus in oppido Rhenano Rens Cæsar designatur, utpo-

te à Balduino Treuerensi, Vualramo Coloniensi, Gerlaco Moguntino archiepiscopis & Rodolpho Saxonix duce. Postea etiam Bonnæ à Coloniensi præfule est coronatus, cum Aquenses ei penitus resisterent. In eo loco Coloniensis, Treuerensis, Moguntinus, Monasteriensis, Leodiensis, Metensis, & Virudensis præfules de regalibus suis à nouo Cæsare sunt inuestiti.